DISSERTATIO
INAUGURALIS
DE
UTERI INFLAMMATIONE
CIRCA PARTUM SUPERVENIENTE.

Auctore Alexandro Ogilvie.

Quem jam tractandum morbum suscipimus, a Culleno celeberrimo in classe Pyrexiarum, ordine Phlegmasiarum positus, his ab illo verbis definitur :

"Pyrexia, Hypogastrii calor, tensio, tumor, et dolor, os uteri tactu dolens, vomitus."

DE MORBI HISTORIA.

Fœminas die parturiendi vel aliquo ad quintum usque sequente, secundo plerumque vel tertio, adoritur Hysteritis. Equidem minime deest ratio cur credamus eandem multo serius quam vulgo creditur supervenire, sub signis nimirum gravis latentem debilitatis, quæ eam comitantur. Memoratur a Doctore Hamilton in prælectionibus suis exemplum memoria dignum, cui aderat, ubi præ debilitate ægrotantis ingente Hysteritidem agnoscere non potuit; quam tamen adfuisse pus inguine erumpens postea demonstravit.

In hoc malo est abdomini imo sensus doloris, qui sensim, intermissione nulla, ardente calore comite augescit; parte eadem digitis impressa, molestia magna concitatur et violentior dolor: uteri regio extrinsecus explorata, et major solito et durior est, " similiter lapidi firma," a tactu præter modum sentiens, ventris parietes simul et laxi nec teneri inveniuntur.

Huic morbo fere præeunt rigores vel se socios jungunt; simulatque organi potissimum læsi comparuere signa, universo corpori quoque caloris est aecessio; celerior fit pulsus, et durior: sitis insatiabilis accedit, capitis etiam dolor sub oculis præcipue situs; tum et dorsi, qui inde in inguen, neque nunquam in crus unum alterumve emicat; membra evadunt frigida; nausea instat, vomitusque: os uteri ultra modum sentit, etiam a tactu dolet; his succedunt plenitudinis, gravitatis, et caloris in utero sensus.

Quin et pro parte uteri in primis vexata sedem suam mutat dolor, qui vario corporis situ cursum variare suum videtur; nunc ad umbilicum, nunc supra, alias infra os pubis extenditur; aliquando in partes posteriores irruit, in crura delapsuras; siquando quam uteri partem vesicæ adjacentem urgeat, inflammatio, tum vero dolor terribilis et meiendi difficultas instant, fluxu urinæ sæpe omnino suppresso, ita ut fistulam immittere prorsus sit necesse.

Lingua plerumque albida observatur et arida, alias madida manet, crustis densis obducta et fuscis: interea progrediente morbo, speciem aliam

atque aliam assumit, sensu gustus cum specie subinde mutatis; quamvis in exemplis nonnullis periculo gravi haud vacuis, hoc organum non multum mutationis a statu sano patiatur.

Quo ad statum lochiorum attinet qui in hoc morbo plurimum valet, CLARI HAMILTON nostri sententia certa est, eorum cursum ibidem semper consistere, nisi mulier per liberum lochiorum fluentum suo liberetur periculo *; nisi laboranti rite promoveatur purgatio, citoque medeatur, futurum est, ut in malum ingens implicita, in discrimine etiam vitæ versetur. Contra ea sentiunt Doctores CLARK et MANNING †, lochia non nisi quandoque omnino suppressa: lactis secretio multum imminuta, interdum omnino interrupta est. Urina rubra est, parca, turbida, cum dolore reddita; alvus adstricta plerumque; dejectiones paucas levamentum aliquod miseriarum fere sequitur: at levatæ tamen invigilare oportet, propterea quod dolores brevi reduces ingravescant.

---

* HIPPOCRATES de Morbis Mulierum.

† *Vide* Their works on Diseases of Women.

Hæc indicia jam memorata, inflammatione prorsus evidente, sed nondum prævalida, se ostendunt. Eadem vero ita grassata, ut peritoneo noceat, irritationis mox apparent signa, tumet abdomen nimis tenerum, graviore ingruente periculo. Interdum vero uteri inflammatio violentior cerebrum ita opprimit, ejusque functiones perturbat, ut curriculis mali nondum ex ordine absolutis fatum interveneat *.

DE CAUSIS.

HYSTERITIDEM causæ plures excitant, tum in facili partu tum in difficili. Cursus parturiendi naturalis usu instrumentorum intempestivo maturatus; uteri quoque validior nixus et diuturnior ad fœtum extrudendum sese contrahentis; partesque molles adjacentes, capite infantis impacto, vehementer compressæ, hoc malum immanius generare valent. Verum liquores, qui corpus calore stimulisque commovent, li-

* VAN SWIETEN's Comment.

berius sumpti; affectus animi graves præcipue; fœmina frigori exposita, velut, si jam enixa prolem lectoque citius amota surrexerit, habitu super cutem madidam copiosius exsudante; frigus in ipsum uterum, fluentibus lochiis receptum, humoribus ita extrinsecus ad partes internas conversis, lactis etiam secretione vel lochiis suppressis, sibi quoque hujus mali ortum vindicant.

Præ cæteris vero animadvertendum est *, si fluxum lochiorum consistere faciat Hysteritis, vel ex eodem præpropere consistente oriatur post partum, ægras plures perire, nisi celeriter ad sanitatem fuerint reductæ †.

Mulieres habitum corporis robustas atque sanguine plenas, potius quam laxas et delicatas, hic morbus invadit. Cui fortes pariter ac debiles opportunas existere, HAMILTON ille asserit ‡: idque eo magis accidere, quo cibi a condimentis, potiones ab alcohole ardentes, nimia copia sumpti fuerunt.

---

* VAN SWIETEN's Comment., vol. xiv. p. 186.

† HIPP. de Mul.

‡ HAMILTON's Lectures on Midwifery.

In oppidis magnis minus frequenter quam in rure, Hysteritis occurrit, quippe in quo diversus aër proclivitatem ad inflammationes majorem inducat *.

In Nosocomiis hoc malum forma simplex, pro multitudine ægrotantium, raro conspicitur; fœminis vero ad ea valetudinis causa confugientibus is ventriculi atque intestinorum status est, ut earum vix ullæ pæritoneo inflammato prorsus vacent.

Apud domos privatas medicinam facientibus Hysteritis distincta minime sæpe offert: cui si serpere omnino detur, hoc per incuriam vel negligentiam committitur muliercularum ægrotis assidentium, primoque malum remediis minus idoneis aut non satis validis depellere conantium. Quod aut nullum adesse ipsæ ægræ, vel idem nil nisi dolores post partum interdum venientes falso ratæ, nec sibi præmetuentes, id ipsum eundo acquirere vires patiuntur; gravi inde discrimine exorto, indiciis et pæritonitidis simul accedentibus, quod semper periculosissimum est, exitiale sæpenumero evasurum.

---

* Clark on Diseases of Women.

DE SIGNIS UNDE SIT PROGNOSIS SECUNDA.

Diarrhœa lenis, fluxus lochiorum redux, secretio lactis renovata, pulsus minus frequens effectus, faciei rubor justo vividior non tam sæpe se ostendens, lingua quam antea fuerat pallidior, uterus sensim mollior et minus tener, calor et sitis imminuti, cutis madida, spem facere sanitatis brevi recuperandæ existimantur.

DE SIGNIS UNDE EVENTUS INFAUSTI EXORITUR METUS.

Horrores frequentes, ultra modum rubescens vultus, hæc signa quidem alterna vice inter se supervenientia; pulsus celer et debilis, ni siqua ejusdem celeritas a sensu corporis nimis irritabili proveniat, nec cætera formidanda adsint indicia; vires corporis insigniter prostratæ; delirium; dolor subito cessans; abdomen simul tenerius adhuc affectum, infelicem prænuntiant exitum; quin et uteri durities periculum immane indicat.

Ast ubi ægram invadunt rigores signaque jam dicta plures dies morantur, tum vero ut multum præsidii in medicina sit ponendum, metuo: Imo etiam macie confectam, viribus orbatam, febre hectica, surdatione, alvi fluxu occupatam, ærumnis eruptura tantis mors cita venit.

DE DIAGNOSI.

Morbi sunt aliqui a quibus periculum est ne hysteritis non satis distinguatur.

Dolores nimirum enixam aliquando aggredientes, puerperarum febris, hysteralgia, colica.

Illi dignoscuntur dolores, cito plerumque partui suborientes, intervallo quietis subinde sublevati: Inter hos ventrem manu compressum nullus urget dolor, a pressu leni potius recreatum. Interea nec lochiorum interrumpitur profluvium, nec lac secerni desinit: rigores absunt et vomitus: non impeditur respiratio: pulsus invenitur raro celer: coactusque sanguis, per quietis intervallo, utero expellitur.

Puerperarum febris matura accessione sua discriminatur, dolore nec regioni hypogastricæ nec ulli certæ parti affixo; patentiore videlicet, per abdomen totum vagante: pulsu quoque celeriore et duriore, centies, nec unquam vices pauciores micante, et sub progressum mali, magis magisque ingravescente, ad vicem centesimam trigesimam, usque per horæ momentum sexagesimam, incitato. Discriminanda est potissimum fluentibus lochiis, eisdem in Hysteritide suppressis. Huic postremæ notæ imprimis fidendum est, quippe quæ distinctionis fundamentum certissimum suppetat.

Distinguitur Hysteralgia quippe in qua rigores fere absint, impetusque sit subitus, dolore facto magisque subito accedente quam in inflammatione, quæ par tempus duravit: idem sæpe multum remittitur, et per intervallum breve pene se subducit.

A Colica facilis est diagnosis; in ea enim nulla febris est, umbilicus vero retractus, dolorque circa eum partes contorquens, a pressu levatur: pulsus est durus, plenus et mollis.

DE HYSTERITIDIS TERMINATIONIBUS.

Ad terminos eosdem ac inflammationes aliæ, devenit Hysteritis. Verum a nexu qui latus uterum inter variaque corporis organa intercedit, tum quoque a conditione post partum viscerum utero adjacentium, suppuratione jam facta, sine periculo gravi nequit terminari. At ubicumque hujus mali horrendi gangræna evadit effectus, ab initio ad metam fati brevi properatur. Ergo cum uteri inflammatio cursu velocissimo feratur, nisi per auxilia celerrima occurratur, in primordiis ejus perspectis et bene intellectis ægrotæ vita sæpenumero vertitur. Quod si parti affectæ dolor additus, arteriarum ibidem subsilientium sensus, pulsus celer et durus, calor auctus, istiusque modi cætera, ineunte morbo, malc neglecta fuerint, eadem ingravescentia vel temperare, vel miseram omnino subtrahere periculo, difficile fiet.

Quapropter fœminas ægrotis assidentes moneri oportet, causas hujus mali excitantes non modo

præcavendas, verum indiciis etiam jam recensitis obsistendum, ne redeant, eademque, si qua appareant, cum medico quamprimum communicanda.

DE CADAVERIBUS INCISIS.

Corporibus hoc malo occisarum exploratis, humores extra vasa sua in cavo abdominis raro conspecti sunt: Vacavit interdum signis inflammationis peritonæi facies, præterquam qua uterum tegebat, vel pars vesicæ posterior idem partim affectum ostendebat. Tubi Fallopiani scissi sanguine pleni visi sunt. Uteri substantia firmam se præbuit, amplior fuisset, secundum naturam a parte contracta. Ex eadem quoque incisa puris copia effluxit. Quin et intra tubos Fallopianos repertum est pus, et in ovariis quoque, ita ut hæc singula columbæ ovum magnitudine adæquarent *. Talibus in exemplis aliquando, sed raro quidem, gangræna cernitur. Nunquam mihi conspecta est. Eandem semel,

* Clark on Diseases of Women.

quæ in uteri cervice apparuit, adhibitis ad partum expediendum instrumentis, visam esse sibi CLARK testatur; qui sensa sua in hunc modum exponere pergit: sibi probe constare*, gangrænam utero accidisse sæpe descriptam, id vero a medicis potissimum, corpora fœminarum a puerperio mortuarum, ope scalpelli scrutari insolitis; parte uteri, cui adhæserat placenta, per gangrænam corrumpi falso existimata: eosdem ergo specie deceptos tum partis maternæ placentæ reliquiis, tum sanguinis circa vasorum magnorum in utero fines, separata jam placenta, coacti: has denique infra reliquias leniter abrasas, faciem uteri internam posse detegi incorruptam.

DE MEDENDI RATIONE.

ADVERSUS hunc morbum nihil æque prodest ac protinus ab initio sanguinem e brachio detrahere; nimirum quod vasa intenta attenuat, impetumque humorum imminuit. Ergo potius quam

---

* CLARK on Diseases of Women, p. 70.

detractio parva subinde repetenda, major et ore venæ amplo fiat oportet, usque dum dolor partis præcipue affectæ sit aliquatenus sedatus. Hac ratione exinanitio subita erit atque liberior, eoque magis, quo malum curricula sua celerius ex ordine peragit, spesque salutis fere tota in hoc posita est auxilio.

Quod si dolor levis in regione uteri adhuc remanserit, viresque ægrotantis, sanguine jam copiose depleto, multum imminutæ fuerint, tum vero hirudines neutiquam omittendæ sunt, quin parti dolenti adhibeantur. Cucurbitularum quoque cum ferro commendatus est usus: in Hysteritide vero hæc sanguinis detractio nec satis expedita nec celeris est, quoniam per eam partes laborantes propius attingere non datur. Regio tamen proxima simul et commodissima cui admoveantur cucurbitulæ, supra os pubis est in abdomine inferiori. Adstricta si sit alvus, Cathartica, fructus nimirum Tamarindi, Oleum Ricini, Sulphas Magnesiæ, Tinctura Sennæ, danda sunt. Si stercus durum intestina stimulet, indeque ad uterum vel ad corpus universum pateat irritatio, clysteres ex decocto Anthemidis nobilis, vel Al-

thææ, vel Avenæ communis, vel Aquæ tepidæ, quæ huic usui bene in primis inservit, auxilio ubique sunt vocandi. Ad quos insuper Sulphas Magnesiæ vel Oleum Ricini, talibus si opus sit, accedat. His Oleum Terebinthinæ modicum addendum quidem suaserunt: quod et ego semel expertus respondere votis comperi. Una cum his aquæ tepidæ fomenta, vel panni oleo terebinthino, acetove madefacti, ad uteri regionem sunt admovendi.

Usurpata sunt vomitoria quoque, ubi ventriculi crudo cibo onerati suspicio erat: sed caute omnino ea ministrari, quippe quæ corpus universum insigniter convellant; raroque in usu esse decet, nisi portione exigua unde diaphoresis oriatur. Ubicunque vero ingens est dolor et irritatio, signave inde gravia genita, Opium, copia satis ampla, idoneis jam præmissis exinanitionibus, et temporis intervallo fere magno subinde interposito, dare licet.

Idem quoque cum Ipecacuanha conjunctum, in hoc malo profuit. Non nisi stimulando valere Epispastica a medicis olim credita sunt; neque in ullis probata inflammationibus; recentiorum

vero experientia viribus antipasmodicis eadem prædita esse demonstravit, neque in hac neque in cæteris inflammationibus usu suo carent; quamvis hæc proxime, ut oportet, parti dolenti, imo scilicet abdomini, apponere non sit facile. Diluentia, velut hordei decoctum, quatenus sitim restingucre, alvum apertam servare, et aliquid nutrimenti suggerere valeant, utilia existunt; nec refrigerantia minus, cum in hoc, tum in similibus morbis, qualia sunt fructus acidi maturi, mali quoque et aurei et citrei suceus. Omnis corporis motus, nimirum qui sanguinis reditum per venas incitet, contractionesque cordis augeat, vitandi sunt, haud secus ac cuncti graves animi affectus.

Regimen denique antiphlogisticum, quoad corpus animumque, pariter servandum est.

Istiusmodi curatio cum fuerit efficax contra malum, corpore toto sudor evenit, lochia copiose fluunt, simulque fit evidens uniuscujusque signi molestioris remissio.

Contra, si dolor evaserit acutior, sensusque vasorum in parte affecta subsilientium, febris major, nausea simul atque delirium, vel inquies gravior

fit supervenerint, tum ex his nunciatum est inflammationem suppuratione vel gangræna terminatum iri; ergo siquando firmior pulsus permanserit et plenior, dolorque partium subsilientium violentior, eventura indicatur suppuratio. A pulsu vero languescente, delirio miti, atque sudore glutinosa, gangræna instare satis ostenditur.

Quapropter medicus nondum accersitus, donec malum aliquamdiu sævierit, pro magno habere debet, quo sit ægra statu protinus perspicere, illamque animo quam maxime intento curare. Etenim pulsu pleno, qui a malo ad suppurandum jam procedente oritur, in errorem inductus, si exinanitiones quasdam instituerit ineptas, grave inde gangrænæ erit periculum; vel forsitan ab intempestiva sanguinis missione, ægra languescens, debilitati, fluente pure, jamjam oriundæ succumbet.

Commodissimus puri datur per vaginam exitus, quam propterea servare mundam et aqua tepida subinde injecta fovere oportet. Hanc vero sibi viam pus non semper eligit; intestino recto interdum, sæpius, uti credo, inguine erupturum.

Quod si accidat, ægra diu fluxu materiæ ingente, fit debilis, curatioque in longum protahitur; quo magis vires illius sunt sustentandæ; pulvere cinchonæ, infuso decoctove, talibusque exhibitis, cum diæta, nutriente, tum quoque fructibus maturis large sumendis, quatenus alvo laxæ inserviant; in quo oleum ricini quoque et sulphas magnesiæ usui esse possunt.

Jamque Hysteritidis exempla tria, quam in illis curationem, quibus oriunda causis autumarim, sum expositurus.

EXEMPLUM PRIMUM.

Ad aurigæ, qui currum machinæ bellicæ regalis agebat, uxorem advocatus sum; quæ paupercula, neque unde alimenta idonea sibi compararet, neque inde obstetricem conduceret, habebat. Aprilis primo die, anno millesimo octingentesimo decimo octavo, hora fere prima pomeridianâ, illam vidi, annos viginti tres natam, jam vice quarta gravidam, tempore quo pareret prope adventante, valetudine parum firma, vultu mentem anxiam depressam præ se ferente, pulsu abnormi. His indiciis perterritus, ægrotam, qua

oportebat cura, prosequi constitui. Ejusdem diei, hora fere dimidia post sextam vespertinam, me auxiliante infantem sanum edidit; quartaque parte horæ octavæ elapsa, alterum quoque, utrumque vivum validumque: hora circiter octava, placentæ duæ inter se conjunctæ, nullo subsidio extrinsecus admoto, exierunt. Tempore matutino sequente, portio olei ricini cum tinctura sennæ data est; unde alvus pro veto soluta, usque ad quintum mensis diem aperta tenebatur.

Eo die, hora dimidia post nonam matutinam, mihi conspecta, de dolore capitis assiduo, quasi funiculis adstricti, de frigoris quoque ingentis sensu, quod proximæ nocti, ab infante altero vagiente, insomni ductæ tribuebatur, conquesta est; cætera melius se validiusque habere sensit. Pulsus ejus frequens et durus, centies fere, momento horæ sexagesimo, micabat; quod febrem majorem indicabat quam quæ a somno unam tantum noctem deficiente, conflata foret. Singula ab ægrotante percontatus, ubi nihil resciscere potui, neque ei persuadere, ut medicamenta quæ mihi tunc videbantur necessaria, sumeret, discessi, his antea præscriptis, ut, si quem cibum capere vel-

let, is levissimus, concoctu facillimus, minimeque stimulans daretur; hoc quoque, ne omnino lactaret; demum, ut strepitu omni prohibito, somnus quam efficacissime conciliaretur. Hora fere tertia pomeridiana eam revisi, ubi jentaculum leve ex infuso thææ, paneque tosto, sumpsisse, seque somno dedisse dicta est. Iterum cum nocte circiter media præ animo anxio redux essem, eventum certus observandi, paullo ante multos inter rigores expergefacta, jam calorem ingentem, violentumque in abdomine dolorem, perque inguen usque ad spinam sese jaculantem, conquesta est. Cæterum, nauseæ non multum experiens, cibum potumque omnino fastidiebat: cephalalgia non magis quam mane urgebat, infestante pulsu centesimo octavo pleno duroque. Omnibus ita demum, quantum fieri posset, exploratis, incipiente eam Hysteritide correptam mihi persuasi. Infirmitas ejus generalis, delicataque corporis constitutio, me vetabant e penu universo per lanceam mittere sanguinem; quoniamque hirudines non poterant commode parari, ad remedia alia erat confugiendum; ergo linteola calefacta oleoque terebinthinæ madefacta, re-

gioni uteri adhiberi partibusque nimis sentientibus; eademque fomenta tali modo adhibita, ne quid temporis lucro non appositum curationi deesset, per intervalla etiam somni continuari jussi. Hora post duodecimam dimidia, e Submur.: Hydr. granis decem; pulv. Jalapæ granis octo, conservaque rosarum bolum, purgantem præscripsi. Auroræ sequentis hora octava, misturæ laxantis ex infuso Sennæ, Sulphatæ Magnesiæ, Tincturaque Jalapæ, cochlearia duo magna exhibui; quibus hora septima octavaque repetitis, alvus prout oportebat, prorsus est soluta. Quin et fomentis supradictis sublevatæ, magna quoque doloris contigit remissio. Cuncta demum hujus mali indicia cum animo probe volvissem, ægrotæque sedulo adfuissem, neutiquam dubitavi quin hæc Hysteritidis accessio ab ipsius ægrotantis incuria, vel a negligentia famulæ imperitiave, ortum traxisset. Illa denique incaute se frigori objectam fuisse, tertia post partum nocte, cum infantes placare, dormiente famula, conaretur, confessa est. Quin et eandem cubiculo diu inambulasse, vestibus non nisi decumbenti idoneis indutam, comperi. Tunc pulveris

Ipecacuanhæ portione ministrata, me abstuli. Deindo, circa horam octavam vespertinam reversus, somno refectam, viribus nonnihil auctam, corpore toto jam mediocriter exsudante, pulsu nonagesimo molli, omni dolore liberam, de molestia tantum levi, conquerentem inveni. Tunc pannos laneos aceto et aqua mixitis calefactos, si opus foret, admovendos, diætam aptam, medicamentum laxans pro re nata sumendum, frigus diligenter vitandum suasi. Die proximo mane cum eam convenerim, in eo permanebat ut melius haberet: paucis postea diebus eo usque convaluerat, ut cubiculo exire citra periculum ullum posset. Ergo malum in hoc exemplo, a frigore præ negligentia suscepto, procul dubio genitum est; unde lochiorum fluxus extemplo fere suppressus, parciusque lac secretum.

EXEMPLUM SECUNDUM.

Uxor hominis qui tormenta bellica curabat, annos fere viginti tres habens, constitutione corporis valida plenaque, tertium in utero gestans, in nave ad milites trajiciendos aptata, muliere adjuvante, parturivit; post hac, hora fere dimi-

dia elapsa, extracta est placenta, non sine dolore sanguinisque profluvio. Hora fere nona matutina, die Lunæ, Julii decimo, post partum tertio, accersitus fui: tunc pluribus Hysteritidis indiciis, graviori capitis dolore, pariter ac alvo adstricta, conflictabatur. Protinus e brachio sanguinis unciis viginti sex emissis, exinde bolum purgantem capiendum, misturam laxantem exhibendam, donec omnino dejecta foret alvus, aceti quoque fomenta abdomini imo applicanda, commendavi. Hora fere decima nocturna, alvo catharticis plurimum laxata, admodum levata sunt indicia; nec molestiæ quidquam supererat, nisi partis dolor affectæ: Huic igitur hirudinibus triginta tribus admotis, fotuque simplice noctu usurpando præscripto, haustus olei ricini datus est, Id effectum suum die proximo mane præstitit; deinde circa meridiem, sanitate accepta mulier gaudebat. Malum in hoc exemplo, ut opinor, excitatum est præcipue, a placenta durius avulsa; tum quoque a liquoribus alcoholis ad dolorem sedandum, debilitatique quæ partum plerumque sequitur, obviam eundum, liberius sumptis.

EXEMPLUM TERTIUM.

Puellæ cuidam delicatæ, annos unde viginti natæ, partum primum jamjam edituræ auxilio erat obstetrix. Nato vita casso infante, hora nondum postea exacta, ægerrime abstracta est placenta, profluvio sanguinis levi sequente, quod usque ad horam primam diei tertii distillare non destitit. Tunc rogatus ut ægram adirem, Hysteritide confirmata, gravique circa uterum inflammatione correptam, inveni. Causa mali in suspicionem venerat; verum ore uteri sentiente nimis acriter atque dolente, rem minime explorare, nedum pro certo habere, poteram. Medicamento vomitorio leni dato, hirudines triginta quatuor circa partem dolentem impositæ, clysteres modice calidi frequenter ministrare sunt jussi. Hora septima nocturna bolus purgans cum mistura laxante exhibitus est, unde alvus quater plene dejecta fuit. Die sequente, hora quarta matutina, placentæ pars exigua exiit. Deinde haustu opii sumpto, sanguinis fluxus hora post meridiem prima, cessavit. Tum ægram multum subleva-

tam constabat; dolor tamen uteri adhuc magnus hærebat: iterum itaque in usum vocatæ sunt hirudines. Clysteres duo cum opii guttis sexaginta singuli, ante horam sextam matutinam injecti fuerunt. Hora decima nocturna, melius nostra habebat, dolore licet uteri nondum summoto; ergo Pil. Hydr. gr. decem., G. Opii gr. tria, sunt data: dein, postero die, hora octava, haustu Olei Ricini et Tincturæ Sennæ sumpto, alvus ter ante meridiem soluta est; sed dolor a pressu etiamnum gravior fiebat. Parti affectæ vesicatorium, lamina tenui lintei interposita, ap plicatum est. Hora septima matutina, ingens copia seri inde manavit, doloribus pene depulsis. Hora decima nocturna, vesicatorio amoto, spermatis ceti unguento pars curare incepit, haustusque datus est anodynus. Die Solis sequente, Oleo Ricini et Senna repetitis, cum nostram duobus vel tribus postea diebus convenerim, convalescentem reperi: sanitate prorsus recepta gaudente, die Saturni proximo, exire cubiculo licuit.

Hæc Hysteritidis accessio a placenta tenaci et violenter abstracta, ortum aperte duxit; sangui-

nisque fluxus, mali comes, a parte placentæ utero relicta, genitus est.

Inflammatio sensusque ultra modum irritabilis, excitati sunt potissimum, a multo vino Lusitanico cum nuce moschata commisto dilutoque, quod ægræ nondum a me conspectæ famula obtulerat.

FINIS.